



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)



AD LECTOREM.



VTRA illa, de quibus Lectorem superiori monuimus ante Tractatum *de Sacramentis in genere*, hoc vnum addendum nunc est: nostrum hunc *de Pœnitentia* Tractatum, maiori ex parte ad mores pertinere, & ad praxim frequentissimam Confessariorum, & Pœnitentium: in quo genere propter maximam vtrorumque necessitatem, abundare maluimus, quàm deficere. In eligendis autem sententiis, sicut non semper magis rigidas, ita nec semper magis benignas, & laxas elegimus: nec enim fieri potest, vt in altero semper extremo veritas reperiatur: conati tamen sumus, vbi fieri potuit, probabilitatem alterius partis significare. Caterùm in hac potissimum materia, si in qua alia, Lectoris prudentia desideratur, vt non statim terreatur regulis quibusdam generalibus, quæ tradi solent: sed meminerit, non omnia, quæ iuxta Metaphysicam, & Scholasticam disputationem vera significantur, debere eo ipso, aut posse in vniuersum ad praxim applicari. Nam, vt suo loco iterum monebimus ad praxim huius Sacramenti considerandum non solum est, quid vtrumque verum quasi in abstracto sit, sed quid etiam moraliter, & humano modo fieri possit, ac deceat: ita vt remedium hoc suauitate, ac dulcedine plenum non fiat sua difficultate impossibile, vel horrorem nimium ingerat humanæ fragilitati. Quod multò magis circa conscientias scrupulosas præ oculis habendum est; cum quibus non vniuersales semper regulæ, quas Doctor pro munere suo omittere non potest, considerandæ sunt, sed aliæ, quæ in proprio loco, & in tractatu *de Conscientia* pro scrupulosis à Doctoribus tradi solent. In eiusmodi enim personis non sunt reputanda dubia, nec putandi sunt in dubio obligari, quando alij ratione dubij obligandi essent. Nec idem discussionis, & examinis gradus petendus est ab illis, cum experientia constet, gradum illum propter scrupulos, & infirmum illum timorem, impossibilem iis esse sine morali periculo grauioris detrimenti: Hoc volui ipso in limine Lectorem admonere, cui si videro laborem nostrum gratum esse, curabimus ei integrum *de Iustitia* & *Iure* tractatum, quem nostri etiam Scholastici Professores ex nostrarum Academiarum lege tradere solent, quamprimum offerre. Quæ omnia cedant vti nam ad Dei gloriam, & publicam vtilitatem.